



1784,10
No 90

DE
IVRE ERGASTVLA INSTITVENDI
EX IVRISDICTIONE CRIMINALI
PATRIMONIALI HAVD FLVENTE

P R A E F A T V R

S I M V L Q V E

O R A T I O N E M A D I T I A L E M

DIE XXVII. DECEMBRIS MDCCCLXXXIV

H A B E N D A M

I N D I C I T

D. GEORG. IAC. FRID. MEISTER

PROFESSOR IVRIS ORDINARIUS ET FACULTATIS

IVRIDICAE ASSESSOR.

G O T T I N G A E,

TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

ACADEM. TYPOGR.



§. I.

Argumenti scriptionis elecii occasio et ratio.

*Ergastula instituendi ius imperio ciuili, secundum communem sententiam, solidis rationibus instructam, ipsisque rerum argumentis comprobatam, vindicari, satis constat. Sed tamen suborta aliquando est dubitatio, an etiam nobilibus, aliisque iurisdictionis criminalis dominis, propter ipsam hanc iurisdictionem, illud ius concedendum sit? Statibus prouincialibus contra principem, optimo tamen iure contradictrum, hoc asserere intendentibus. Qualis generis quaestio, quum ad nostram Facultatem delata esset, vt de iure responderemus, factum inde est, vt in hoc argumentum inciderem; quod, quum satis graue sit, nec dubio tamen carens, a nemine vero, quantum scio, adhuc explanatum *), operaे pretium me facturum esse existimauit,*

fi

*) Quae enim de ergastulis, eorumque iure generaliter, scripserunt IO. GEO. SIMON, et TOB. IAC. REINHARTH, ille quidem in Diss. de ergasteriis disciplinaribus. Len. 1670, hic autem in similili Dissertatione de ergastulis eorumque iure. Erford. 1734 habita, ad hoc meum argumentum, quod obiter tantum et uno fere verbo attingunt, proprie non pertinet.

A

si illud scriptio[n]e illustrauerim, atque ea, quae tum ex doctissimis referentis hac de re ad nostrum collegium reliquorumque assessorum sententiis atque decidendi rationibus, beneuole mecum communicatis hau[er]ti, tum vero mihi saepius rem cogitanti succurrerunt, exposuerim.

§. II.

Ergastula instituendi ius ad imperium civile et sublimem politiam, secundum iuris publici vniuersalis principia, pertinet.

Ergastula, id est, aedes publicas, receptaculo et custodiae hominum facinorosorum et maleferiorum ad publicas operas poenae et emendationis causa adigendorum destinatas, instituendi ius, inter *imperii civilis* et *sublimis politiae* iura referendum esse, ex luculentis iuris publici vniuersalis principiis efficitur. Ei enim, qui imperium civile tenet in republica, cuius et obligatio est, et ius summum, ad communem ciuium securitatem et utilitatem omnia in ciuitate dirigendi, cuique et ius competit, media, quibus falsa publica quam maxime obtineatur, definiendi, quod *sublimis politiae iuris* vocabulo generaliter accepto folet designari, iure meritoque tribuendum est ius, condendi ergastula, tamquam eius generis instituta publica, quae tum ad insignia salutis publicae promouendae media generatim pertinent, tum vero speciatim requirunt ius, operis publicis poenae causa addictos, ad has operas in publicam utilitatem praestandas, adigendi; quod utrumque ad *sublimem politiam* est referendum. Ita vero ergastuli ius regale esse, nec sine expressa principis concessione

cessione extrui posse ergastula, dupli maxime ratione apparet, quarum altera ergastulis cum aliis institutorum publicorum generibus est communis, altera iisdem, pro fine, in quem proxime et speciatim constituantur, propria; quarum utraque sigillatim est exponenda.

§. III.

Quod speciatim euincitur I) ex communi institutorum publicorum, ad quae ergastula pertinent, natura et indole.

Quod si primum ergastula tamquam *instituta publica* et publicae utilitati inseruentia generatim consideremus, eorum condendorum ius ex *sublimi politia* fluere, statim apparebit. Quum enim, quae inter media communis ciuium boni obtinendi referenda sunt, instituta et opera publica, qua quidem appellatione venit, quidquid publica auctoritate in utilitatem publicam conditur, eorumque imprimis concessio, constitutio atque exstructio, ad sublimis politiae, cuius est boni publici media definire et dirigere, curam et potestatem generatim pertineant: de nullo quidem eorum genere magis, quam de ergastulis, dicendum hoc esse videtur. Summam enim ea et proximam habent securitatis utilitatisque publicae promouendae rationem, quia sint comparata maxime ad puniendos homines facinorosos, ut ne ipsis amplius noceant, aliquie a scelere deterreantur, et eo quidem supplicii genere, quo delicti malum, quam minimo possit fieri, poenae malo compensatur, hinc poenarum fini plenissime consulitur; simul vero usum habent, ad alios homines maleferiatos, reipublicae nocentes, vel inutiles saltim et periculosos, ad ipsorum emendationem

A 2

et

et publici commodi causa, recipiendos. Quorum quidem omnium cura, quum sublimis politiae partem faciat, ad huius quoque iura ergastulorum exstructionem referendam, nec igitur praeter principem vlli in ciuitate, sive magistratui, sive priuato, concedendam esse, necessario consequitur. Permissum quidem est priuatis, nobilissimo salutis publicae promouenda studio excitatibus atque animatis, sicut ad alia qualiscunque generis instituta et opera publica, ita etiam ad ergastula exstruenda, opes et facultates suas conferre, et hoc ipso ea fundare; sed ipsa fundata a priuato ergastuli institutio et exstructio, quae priuati potestatem excedit, ad principem omnino pertinet, nec sine expressa eius concessione fieri potest *).

§. IV.

2) *Ex fine proprio, quem habent ergastula, ut inseruant custodiae eorum, qui ad operas publicas praestandas debent compelli, quod, praeterquam iure sublimis politiae, fieri omnino non potest.*

Deinde, ut ergastuli ius sublimi politiae vindicetur, accedit altera, eaque principalis ratio, quae a fine, cuius causa speciatim

*) Nec etiam aliter intelligendae sunt sanctiones legis 28. C. de episc. et cler. et capituli 3. X. de testam., pias fundationes seruandas esse quidem praecipientes, ipsam vero institutorum publicorum fundatorum erectionem superioris auctoritate fieri, requirentes. Vide etiam leg. 5. et 6. Dig. de operib. publ. et perill. a. L. BOEHMERI Dissertationem de iure principis circa loca et opera publica c. I. § 2. in *Eleclis iur. ciuit.* T. I. n. 15.

ciatim et proxime ergastula instituuntur, deriuata est. Nimirum, quum ergastula ad receptionem et custodiam eorum, qui poenae causa ad operas publicas compelli debent, destinata sint, sua sponte sequitur, *ergastuli ius* non nisi ei concedendum esse, qui gaudet iure, delinquentes, *publicis*, seu reipublicae debitIs, et in publicam vtilitatem praestandas, laboribus poenae causa mancipatos, ad has ipsas *operas faciendas adigendi*, et hunc in finem ea, quae *exactio operarum* et *custodiae* reorum causa requiruntur, constituendi adornandique; quod quidem ius ad *sublimis politiae iura* itidem referre, et hinc imperanti tribuere, quis dubitauerit? Quid enim ad communem ciuium securitatem atque salutem, hinc ad principis curam proprius spectare potest, quam huius, quod descripsi, juris exercitium? Quippe quo hoc primum efficitur, vt damnati criminum rei, dum ad operas publicas, in publicam vtilitatem, prout earum natura et finis requirit, praestandas, compelluntur, et obligationi, qua reipublicae per delictum laesae tenentur, et fini poenae ad ipsos aliosque a criminibus committendis arcendos deterrendosque inflatae satisfaciant: tum vero etiam cura habetur, vt ne quid detrimenti capiat respublica ex hoc poenarum genere et mediis atque institutis, quae eius exequenda causa requiruntur, vel eo, quod homines pessimi, nouaque sclera ausuri, negligenter custoditi, summo cum securitatis publicae periculo in libertatem se recipiant, vel quod in ipsis operis exigendis plura atque grauiora mala, quam ex principis voluntate ipsiusque poenae natura ac fine fieri par est, delinquentibus inferantur, itaque, quod in se est fini poenarum et humanitati maxime conueniens poenarum genus, in pessimos abulus trah-

tur, salutique publicae sit detimento: quo ipso denique, quod summa rei est, obtinetur, ut operarum publicarum poena, securitatis et salutis publicae causa constituta atque inflata, in publicam utilitatem, quantum maxime fieri potest, ipsius reipublicae et imperantis auctoritate per omnia dirigatur.

§. V.

Ex sola autem iurisdictione sublimi ius ergastuli condendi non fluit.

Ex his, quae hucusque dixi, simul intelligitur, ius ergastuli ex sola iurisdictione principis sublimi haud fluere, quippe quae tum, strictius accepta, intra notionis et decisionis fines se continent, et ab executionis potestate distincta est, tum vero, cum executione licet coniuncta, tamen iurium sublimis politiae, quatenus ea circa executionem certi poenarum generis se exserunt, fons haberi non potest, nec igitur, ad ergastuli iuris fundamenta struenda, sola sufficit.

§. VI.

Idem ius Statibus imperii Rom. Germ. ex superioritate territoriali vindicatur.

Quod haec tenus ex iuris publici vniuersalis principiis imperio civili generaliter vindicari ergastuli erigendi ius, idem et Statibus imperii Germanici ex superioritate territoriali, quae omnia et singula imperii civilis, hinc et sublimis politiae, quounque ea patet, iura in se continet, tribui certissimum est, maxime

xime quum et legibus imperii *) sublimis politiae ius Statuum expresse firmatum sit atque stabilitum. Nullam vero esse arbitror rempublicam, ex cuius et constitutione et historia, quanta operarum publicarum poenae et ergastulorum in publicam utilitatem sit vis atque effectus, et quam solida igitur eorum erigendorum ius ad iura referendi regalia sit ratio, luculentius appareat, quam imperium Germanicum; quum non modo ex arctissimo singulorum territoriorum inter se et vicinitatis et iuris nexu, quantum, homines facinorosos ergastulis contineri, quam ex uno in alterum territorium hinc inde relegari, praestet, facile intelligatur; sed etiam ex comparatione eorum, quibus praeterita saecula, eiusmodi generis institutorum ignara, circa politiam criminalem abundabant, vitiorum atque deficiuum, cum emendata recentioris aeuī hac in re facie, idem hoc euincatur.

Hoc vero, quod Status imperii Germanici, tamquam sublimis politiae territorialis partem habent, ergastuli erigendi ius, a subditis, cuiuscumque caeterum sint generis et conditionis, priuatis, magistratibusue, sine speciali principis concessione non posse exerceri, sua sponte appetet; nec etiam nobiles, aliquae Status prouinciales, vi iurisdictionis criminalis ipsis propriae,

ad

*) Constitutum ita est in Capitulatione Caesarea art. 7. §. 4. "wobeneben wir fürohin keinerlei von unsren Vorfahren zu ertheilen nicht hergebrachte privilegia, so derer Churfürsten Fürsten und Ständen in dero territorii zufehlenden Polizeywesen und gleichfalls hergebrachten Gerechtsamen in einigerley Weise vorgreifen, ertheilen, noch die etwa ertheilte erneueren sollen noch wollen."

ad hoc usque tempus, publice illud, quantum eisdem scio,
sibi arrogare ausi sunt. Sed de hoc tantum, quum superioritatis
territorialis auctoritate ergastula exstruerentur, inter principem
et subditos atque Status prouinciales actum esse legi *), qua
ratione sumtus ad exstruendum sustentandumque ergastulum ne-
cessarii, quos, ad institutum publicae territorii utilitati inseruiens,
a subditis, et ex aerario prouinciae publico ex parte suppeditari,
aequissimum erat, compararentur.

Similiter omnes, iisque laudatissimi, quos euolui iuris publici
et criminalis scriptores, inter quos viros summos TOB. IAC.
REINHARTH **), IO. VLR. DE CRAMER ***), AVGUSTIN.

LEY*

*) Sic v. c. ESAI. PUFENDORF in *introductione in processus criminalis*. Luneb. c. XXIII. §. 6., ad ergastulum, quod Cellis Luneburgicis
exstructum est, aedificandum, Status utriusque Ducatus tam Cellen-
sis quam Calenbergenfis sumtus suppeditasse, refert.

**) in *Dissertatione de ergastulis eorumque iure* §. 5. verbis: "ius er-
gaſtula erigendi in loco quodam summae saltim potestati competere
„reor, nequaquam priuatorum, immo nec magistratum municipalium,
„nec illorum qui superiore s. criminali iurisdictione gaudent arbitrio
„idem ius relatum esse, nisi principis s. domini territorialis consensus
„et auctoritas acceſſerit."

***) in den *Wetzlavischen Nebenstunden* Th. 13. Abh. 1. §. 2, qui ex
superioritate territoriali hoc ius deriuari, tamquam principium
inter Spirenssem principem et nobilitatem haud controversum
constituit,

LEYSER *), IO. IAC. MOSER **), et IO. CHRIST.
QVISTORP ***), nominasse sufficiat, inter iura principis re-
galia ergastuli ius vno ore retulerunt.

§. VII.

*Ius ergastula erigendi iurisdictionis domino ex concessa
iurisdictione criminali tribui non potest.*

Postquam, ergastuli exstruendi ius principis esse, et ad po-
litiam sublimem pertinere, demonstravi, superest altera disqui-
sitionis pars, cuius causa priorem paestruxi, nimirum, ut, ius
illud sub concessa a principe *iurisdictione criminali* seu *omni-
moda comprehensum* non esse, nec igitur a nobilibus aliis-
que, qui *patrimoniale* habent *iurisdictionem*, sine speciali princi-
pis consensu et auctoritate posse exerceri, demonstrem. Quod
quidem ex antea dictis facile effici mihi videtur. Quum enim
ius ergastuli exstruendi ex sublimi politia fluat, quae nec omni-
no, nec speciatim per *iurisdictionem*, a qua natura sua longe
differt, subditis a principe concessa esse intelligitur, vanum esse
iurisdictionis criminalis praetextum, ad ergastuli habendi pote-
statem nobilibus tribuendam, statim appetet.

§. VIII.

*) in *meditat. ad Digesta spec. 648. med 16.*

**) *Von der Landeshoheit in Polizeisachen c. 6. §. 17.*

***) *in den Grundzügen des Deutschen Peinlichen Rechts Th. II, Abschn. 9.*

c. 4. §. 564.

B

§. VIII.

*Argumenta in contrariam partem exponuntur, quorum
I^{mum}) a potestate exequendi, mediaque executionis constituendi,
qua gaudent iurisdictionis criminalis domini in Ger-
mania, generaliter desumitur.*

Attamen, nisi ad iuris ergastuli naturam et fontes descen-
datur, iurisdictioni criminali hoc ius inesse non sine specie aliqua
contendi, facile concedo, quum, iurisdictionem criminalem,
quae poenas decretas exequendi, hinc executionis media ha-
bendi potestatem generaliter comprehendit, ergastuli quoque,
tamquam executionis medii, ius tribuere, satis naturale esse
videatur.

Ea nimirum est in Germania, secundum regulam,
iurisdictionis criminalis patrimonialis per obseruantiam *)
constituta ratio, ut poenas decretas, qualiscumque sint generis,
et grauiores, et leuiores, exequendi potestatem sub se compre-
hendat; hinc, quum ius ad finem mediorum quoque potestatem
dare necesse sit, ideoque, secundum lauoleni l*eti* in lege secunda

Digeflor.

*) Quam luculentissimis argumentis probatam, inter alios, testificantur
scriptores hac in re satis versati: IO. IOD. BECK de iurisdictione supe-
riore f. criminali c. 23. obs. 1. p. 284. et FRID. ESAIAS PV-
FENDORF de iurisdictione germanica P. II. S. II. C. II. §. 9. II.
137. Inter exceptiones vero referendum est, quod quorundam
regionum vel locorum mores ferunt, distinguunt a iurisdictione cri-
minali executionem poenarum capitalium sub banni sanguinis ap-
pellatione, eamque, nisi speciatim in investitura expressa fuerit, iu-
risdictionis domino denegari. Vide, praeter PVFENDORF l.c. §. II.
eos. quos in sequenti nota laudau scriptores.

Digestor. de iurisdictione effatum, cui iurisdictione data est, ea quoque concessa esse videantur, sine quibus explicari non potest, indubitatum est domini iurisdictionis ius, constituendi et adornandi omnia et singula, quae ad iurisdictionem exercendam, tum generaliter, tum speciatim, quoad potentiam exequendi, requiruntur. Quapropter ad iurisdictionis criminalis patrimonialis iura referri constat, tum constitutere poenarum exequendarum ministros, veluti carnificem *) et lictores, tum parare res ad executionem necessarias, quo et locorum supplicii, et instrumentorum aedificiorumque, nominatim patibuli, rotae, numellarum, carceris, aliorumque iuris gladii signorum constitutio et exstructio pertinet. Quorum quidem omnium et singulorum, speciatim vero signorum criminalium erigendi potestas, domino iurisdictionis, etiam si eorum in concessione et literis iurisstitutae expresse mentio facta non fuerit, secundum iura Germaniae communia **) haud in dubium vocatur.

Quae quum ita sint, non modo satis naturale esse, sed et necessario consequi videtur, ergastuli exstruendi potestatem eodem et maiori iure, quam patibulum rotamque erigendi ius, iu-

*) Quod ius contra dubia obmota vrbibus et nobilibus patrimoniale iurisdictionem habentibus vindicarunt ES. PVFENDORF in *introd. ad proceff. criminal. c. 27.* §. 2, et G. D. STRUBEN in *den Rechtl. Bedenken Th. II. n. 72.*

**) vid. CARPZOV. in *praxi crimin. P. III. Q. 109. n. 68. 70.* I. S. F. DE BOEHMER in *Observationibus ad CARPZOV. loc. cit. O. 7.* PVFENDORF. l. c. §. 132. 38 et B. PATREM in *der vollständigen Einleitung zur Peinlichen Rechtsgeschäftsart B. I.* Th. 4. Abschn. I. Cap. II. §. 42.

risdictionis domino vindicari, quippe quum et ergastula inter exequendarum poenarum media referenda sint, nec solida apparet ratio, quareis, qui reliquarum omnium poenarum, immo grauissimarum atque capitalium, habet executionem et exequendi media, poenae ergastuli, quae leuior capitali est, nec igitur tantam requirere videtur potestatem, idem non habeat executionem. Quin potius ea circumscrip^{tio} pugnare videtur cum ipsa principis concessione, plenaque, cui obnoxia est, interpretatione, dum imperans, postquam, per datam patrimonialem, seu quoad ius ipsum translatam, iurisdictionem criminalem, quidquid natura sua inest iurisdictioni concessit, contra concessionem agere omnino videtur, si exequendi potestatem, generaliter cum iurisdictione datam, in certo poenarum genere detrahere vel circumscribere intendat. Quod quidem eo maiorem iniquitatis speciem habet, quo certius constat, onus alendorum delinquentium, a patrimonialibus iudiciis in publicum ergastulū in transmissorum, in ipsa haec iudicia deuoluti, quem verò onera rei premunt, eundem et commodis ex eadem fluentibus frui esse aequissimum.

§. IX.

2^{dum}) e carceris, poenae quoque causa habendi, iure speciatim colligitur.

Summam autem haec ratiocinatio vim consequi videtur, si ad carceris habendi potestatem speciatim transferatur, a qua quidem ad ergastuli ius rectissime argumentum duci videtur. Nimirum, quum in Germania carcer, cuius habendi domino iuris-

iurisdictionis ius est certissimum, non ad solam custodiam, sed et ad poenam adhibeat ^{*)}, nec de eo umquam dubitatum sit, posse iudicem patrimoniale ad carceris poenam etiam longioris temporis damnatos in proprio, si quem habet, carcere includere, nihil quoque eidem obstare videtur, quo minus etiam hos, quos ad operas publicas et speciatim in ergastulo facientes damnauit, poenae huius exequendae causa, in carcere suo, hunc tamen ad finem aptando, custodire, constitutoque ministro, operarum exactore, ad labores praestandos compellere, ita vero ergastulum re ipsa habere possit ^{**)}). Quo semel concesso, nec facultas tali instituto ergastuli nomen tribuendi, neque igitur ergastuli condendi ius denegari posse videtur. Quale enim super effet discrimen inter carcerem, ea, qua dixi, ratione comparatum, et proprie sic dictum ergastulum, quod iudex intra suae iurisdictionis fines extruderet, tum ut hos, qui in proprio ipsius iudicio ad operarum poenam damnati sunt, in eo includeret, tum vero et allorum iudiciorum patrimonialium reos rogatus in eodem recipere: neque enim haec recipiendi facultas iudici criminali, quem aliarum cuiuscumque generis et capitalium quoque poenarum exequendarum causa, ab altero iudice requisitum,

B 3

Subsidio

^{*)} vid. art. 157, 201 et 216. CONST. CRIM. CAROL. et CARP.
zov in praxi criminali Q. IX. n. 63. et 64.

<sup>**) Ita fere sensit ERN. IO. FRID. MANTZEL in iure criminali.
Mecklenburgico S. III. §. 12. verbis: "quilibet magistratus, etiam
, iudex patrimonialis, iurisdictionem criminalem exercens potest in
, suo districtu species laborum publicorum imponere, et dantur etiam
, in pagis exempla derer an die Kurre geschmiedeten die allerhand rei-
, ningen graben und ausführen müssen."</sup>

subsidio venire constat, neganda foret. Haec autem iurisdictio-
num dominis concessa ergastulorum potestas, ipsa etiam utili-
tate sua probari videtur, quum non modo carceres, mutata
forma, demtoque squalore et desidia, humaniores et reipubli-
cae utiliores evaderent, sed et operarum publicarum ergastu-
lique poena, quae ad finem poenarum publicamque utilitatem
est commendatissima, ratione executionis facilior, eamque ipsam
ob causam frequentior redderetur, quum magnos, quos ad sus-
tentandos in publico ergastulo delinquentes a iudiciis patrimo-
nialibus impendi necesse est, sumtus, saepe, vt ne utilissima haec
poena decernatur, vel vt decreta in aliam et relegationis maxime,
quae saluti publicae minus utilis et fere damnosa est, poenam
mutetur, efficere, notissimum sit *).

Nec denique haec argumenta infringuntur per ea, quae
monet REINHARTH in Dissertatione de ergastulis eo-
rumque iure §. V., esse nimirum solius principis ius, noua
poenarum genera, qualis est operarum publicarum et erga-
stuli poena, introducendi, eaque publica auctoritate munien-
di, hinc ergastuli exstructionem iudicis potestatem excedere.
Alia enim est quaestio, an iudex in locum poenarum Constitu-
tione Criminali Carolina statutarum, ergastuli poenam, legi
ignotam et nouiter probatam, propria auctoritate surrogare et
hunc in finem ergastulum erigere possit, quod merito negandum:
alia autem longe est, et ad nos sola pertinens, quaestio, vtrum
introducta semel et admissa per principem operarum publicarum
et ergastuli poena, iudex, qui iam suo iure eam decernit, eius-
dem exequendae causa ergastulum possit aedificare

§. X.

* vide ea, quae scripsit MANTZEL loco supra laudato,

 §. X.

Refellitur primum argumentum.

Haec fere sunt, quae ad deriuandum ex iurisdictione criminali ergastuli constituendi ius, subueniunt argumenta, quibus tamen hoc, quod debet, effectum esse, haud arbitror. Quod enim primum ad executionis eiusque mediorum facultatem, iurisdictionum dominis in Germania haud quidem negandam, attinet, intelligenda haec est de iis mediorum generibus, quorum constitutio ad iudicis potestatem referri potest, nec iurisdictionis limites et priuati ius excedit; non vero extendenda ad eiusmodi exequendarum poenarum media, quae, tum publicum aliquod, et ad salutis publicae curam natura sua pertinens institutum, tum ius requirunt, homines facinorosos ad operas publicas, hinc in publicam utilitatem praestandas, adigendi, quorum vtrumque iurisdictionis fines et subditi potestatem egreditur, et ad imperii civilis et sublimis politiae iura omnino est referendum. Siquidem iurisdictionis patrimonialis, quantamcumque comprehendat potestatem, ita tamen concessa semper intelligitur, ut intra iurisdictionis propriæ dictæ fines se contineat, nec ad alia imperii civilis iura extendatur^{*)}; cum hac autem, ex ipsa concessione et concedentis intentione sua sponte sequente, regula, omnino pugnat, tribui iurisdictionis domino ergastuli erigendi ius, quod ad iurisdictionem, ne tunc quidem, si in ipsius principis persona ea spectetur, pertinet,

^{*)} V. KLOCK de contributionibus c. III. n. 17-20, MEVIVM in Decision. P. VI. D. 252. et I. S. F. DE BOEHMER in Obj. ad Carpzov. Q. 109. ob. 12., et B. PATREM I. c. §. 26.

tinet, sed ex sublimi politia, quae praeter imperantem nemini competit in republica, vnicē fluit. Neque etiam, minui et circumscribi hac ratione iurisdictionis generaliter concessae potestatem, contendere licet, quum iurisdictionis vis omnis in eo sit posita, vt ius tribuat, poenam ergastuli decernendi, et, vt decreta perficiatur, curandi, a quo autem instituti publici condendi potestatem quam maxime differre, nemo est qui negabit. Quo ipso quoque apparet, frustra obiici, quod a poenarum capitium executione repetitur argumentum; quum ex duabus poenis, quarum utramque suo iure iudex decernit, alteram, licet in se minorem, vt perficiatur, requirere publicum aliquod et iudicis potestatem excedens institutum, quod in altera atque graviori secus est, plane haud repugnet.

Quae quidem omnia et singula eo magis mihi probantur, quo minus ex rectae rationis principiis, et si a communi Germaniae obseruantia recesseris, euinci posse censeo, inesse perse et ex rei natura vlli iurisdictionis concessae generi ius poenas grauiores exequendi; quod ab expressa principis concessione vera pendere videtur *). Nec aliud ferre arbitror tum ipsam notionem iurisdictionis, quae intra cognitionis et decisionis fines se continet, tum juris maiores poenas exequendi grauitatem, quae expressam principis concessionem fere requirit. Idem vero et Romanorum institutis, merum imperium a iurisdictione plane separantibus, et pristinis Germaniae moribus nonnullarum tamen prouinciarum vsu seruatis, qui exequendi poenas potestatem,

nisi

*) Consentientem habeo perillustrem PÜTTER in *Institut. iur. publ. Germ.* 1, V. c. 4. §. 233 in fin.

nisi in literis inuestiturae nominatum expressum, iurisdictionis criminalis domino haud concedunt *), egregie confirmari atque illustrari mihi videtur.

§. XI.

Refellitur et alterum argumentum.

Quod vero speciatim attinet ad argumentum a carcere ad puniendos quoque reos comparato desumtum, primo, idem, quod antea dixi, repetendum est: nimurum, differre quam maxime natura sua vtrumque et carceris et ergastuli institutum, quum illud, quippe ad custodiam reorum imprimis destinatum, inter ea, quae iurisdictionis exercendae explicandaeque causa necessaria sunt, media referendum sit, hinc ad ius eius, qui iurisdictionem tenet, pertineat, nec, ut exstruatur, ius aliquod extraordinarium et iudicis potestatem excedens requirat; hoc vero, tamquam publicum et publicam utilitatem concernens institutum, ab expressa principis concessione pendeat, a iudicis vero et priuati potestate longe alienum sit. Deinde, esse iudici ius, ad ergastulum damnatos carceri suo, licet huic rei aptato, includendi, prorsus negandum est. Vel enim ita instructus carcer in publicum abiret institutum, in quo ad publicas et in usus publicos praestandas operas rei adigerentur; vel, quod antea erat, maneret carcer, quo iudex, ad priuatos et in

fui

*) Teste FR. ES. PUFENDORF in libello *de iurisdictione Germanica*,
P. II. S. II. c. 2, §. II.

sui ipsius commodum faciendo labores, a reis exigendum, vtere-
tur. Prius quidem sine principis consensu et auctoritate nulla
ratione liceret, secundum ea quae antea a me sunt disputata;
posterior vero, dum operarum publicarum in priuatas, hinc
poenae generis, contineret mutationem, aequo foret illicitum.
Requirit enim operarum publicarum, ad ipsius reipublicae per
delictum laesae satisfactionem, et ad impedienda in communem securi-
tatem crimina, tendentis poenae natura, ratio, atque finis, vt in
publicam, quantum maxime fieri possit, utilitatem ea conuertatur.
Hinc autem non modo, vt publice, et ipsius quidem reipublicae
auctoritate, ad operas praestandas homines adigantur, eademque
auctoritate ea, quae exactio operarum et custodiae rerorum
causa requiruntur, constituuntur, et adornentur, omnino necesse
est; sed etiam, vt operarum commoda et prouentus in usus
publicos, tum ipsius instituti sustentandi, tum alios, impen-
dantur, satis naturale esse videtur. Cum hac vero, per ipsam
operarum publicarum naturam et finem constituta, ratione pror-
fus pugnat, posse iudicem patrimoniale, hos, qui ad publicas
operas condemnati sunt, ad priuatos et in propriam utilitatem
conuertendos labores, in agris, vel aedificiis carceribusue, com-
pellere; hoc ipso enim operae publicae in priuatas fere abirent, hinc
poenarum genera commutarentur, quod non modo iudicis potes-
tatem excederet, sed et pessimum, eoque minus ferendum ab-
usum contineret, quo grauiora inde in securitatem publicam
damna et pericula essent euentura: dum et poena, cuius finis, vt
in vulgus nota fiat, requirit, occulta saepe haberetur, et exe-
cutionis poenae, iusto durioris modo, modo mitioris, licentia
fere

fere priuatis hominibus concederetur *). Quae cum ita sint, tum falsam esse eam, quae praetexebatur publicae utilitatis speciem, tum vero frustra allegari priuatam iudiciorum matrimonialium utilitatem, indeque collectam aequitatis rationem, sua sponte quoque consequitur.

* * * * *

Sed haec quidem praefationis loco dixisse sufficiat. Supereft, vt eo iam, cuius causa haec a me scripta sunt, officio defungar. Quum nimirum, AVGVSTISSIMI et INDVLGENTISSIMI REGIS nostri clementia, EORVM QVE, QVI REGI A CONSLIIS INTIMIS sunt, fauore, professoris iurium ordinarii munus mihi sit demandatum, hoc, oratione publica, die XXVII. Decembribus habenda, prout lege moribusque constitutum est, au- spicabor. Vos igitur, PRINCIPES SERENISSIMI, PRORE- CTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRIS- SIMI, PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CELEBER-

EIMI

*) Hinc vero ea, quae MANTZEL loc. cit. ex moribus Mecklenburgi- cis prescripsit, intelligenda sunt cum temperamento, quod habet QVISTORP in: *Grundsätze des Teutschen Peint. Rechts Th. II.*, Absch. IX. C. 4. §. 564. "Es steht jedoch einem Grundherrn nicht frey, „ohne Landesherrliche Einwilligung, besondere Zucht- und Werkhäuser „zu errichten, obwohl ihm allerdings erlaubt ist, in geringeren Verbrennungen die Urheber derselben zu gewissen Hand- und Feldarbeiten als eine Art von Strafe zu verurtheilen." Quod ultimum vero operarum genus, a publicis operis longe differre, nec in horum locum sub- titui iure posse, vix est quod moneam.

RIMI et ILLVSTRES, DOCTORES et MAGISTRI PRAESTANTISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, PRAENOBLISSIONI, HUMANISSIMIQVE, atque reliqui LITERARVM CVLTORES et AMICI, suo quique loco et doctrina conspicui, ut solemnibus his interesse, vestraque frequentia ea ornare et illustrare, me vero, de iudicis obligatione, secundum leges latas iudicandi, nostra imprimis actate, legum criminalium emendatrice, iudicibus commendanda, breuiter dicturum, atque vota suscepturnum, audire, haud grauemini, ea qua par est reverentia atque obseruantia, rogatos esse velim.

Göttingen, Diss., 1784 (1)





DE

IVRE ERGASTVLA INSTITVENDI
EX IVRISDICTIONE CRIMINALI
PATRIMONIALI HAVD FLVENTE

P R A E F A T V R

S I M V L Q V E

O R A T I O N E M A D I T I A L E M

DIE XXVII. DECEMBRIS MDCCCLXXXIV

H A B E N D A M

I N D I C I T

D. GEORG. IAC. FRID. MEI

PROFESSOR IVRIS ORDINARIUS ET FACVL

IVRIDICAE ASSESSOR.

G O T T I N G A E,
TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERIC

ACADEM. TYPOGR.

